

*Disputatio Politica*  
de  
STATU ET FORMIS RE-  
RUM PUBLICARUM:

*Quam*  
Auspice DEO Opt. Max.

*Præside*  
IACOBO THEOD. F. ZVVIINGERO  
Philosopho celeberrimo, & Professore  
illustris Basiliensis soler-  
tissimo  
publici exercitij gratiâ  
*defendere conabitur*

PHILIPPO-IOANNES TREUTLER  
à KROSCHVITZ.

*Ad diem Septembris.*



BASILEÆ,  
*Typis JOAN. JACOBI GENATHI.*  
c1515cix.



## THESIS I.

**I**N POLITICORVM (a) scholis, tum sui cognitione, tum usu in publicum maximè nobilis illa est disquisitio, quæ de statu & formis Rerumpubl. (b) instituitur. Operæ igitur & temporis precium fecisse videbor, qui eam ipsam, in qua exercear, diatribam præ alijs elegerim.

(a) Omnium autem disciplinarum nobilissimam augustissimamq; itemq; maximè necessariam hominibus esse Politicam constat, & præter rationes cõfirmant Plato, qui eam *πολιτικὴν ἐπιστήμην*, Aristoteles, qui 1. *Eth.* 2. *πολιτικὴν, ἢ μάκρονα ἀρχιτεκτονικὴν* appellat: Plutarchus, qui in *Caton. Maior.* dicit, *ἡ πολιτικὴ ἀνδρῶν ἀρετὴ ἐστὶν ἡ ἀρετὴ τῶν πολιτῶν* (b) ad illam enim omnia, quæ in Politicis præcipiuntur, & in historijs traduntur, tanquam ad centrum directæ sunt. Joh. Bodin. in *Meth. histor. c. 6. in pr.* Et ipsa Politica nihil aliud est, quàm prudentia status publici dirigendi ad bonum publicum, seu felicitatem salutemq; populi.

### II.

Dicitur autem status (a) Reip. quo illa stat & persistit: definiri que potest illud ipsum, quo Respub. (b) qualiscunque illa sit, talis est, non verò alia.

(a) Status Reipubl. nobis tantùm est *ἰσότης* seu qualitativus. Nam quem *ἰσότης* seu quantitativum ex Aristot. 4. *Polit.* 12. quidam agnoscunt Joh. Boterus de *illustr. stat. & Polit. cap. 2.* Herm. Kirchner in *sua Reipubl. disp.* 3. §. 2. nos rejicimus. Bodin. 1. de *Reipubl. n. 10. & c. 9. n. 143.* Henning. Arnisæus 1. *doctr. Polit.* 7. Sic Eumenes in unica arte sua, Plutarch. in *Eumen.* aut Emathion angustis inclusus pagis, Justin. *lib. 7.* vel cui uxor cibaria coquebat Herod. *lib. 8.* non minùs Rex erat, quàm Alexāder M. qui totũ penè orbem subegerat, vel Artaxerxes, cui 127 provinciæ parebāt, *lib. Ester. c. 1.* Plutarch. in *Artaxerxe,* aut hodiè Turca, Tartarus, Hispanus, quorum imperiũ iisdem finibus, quibus Solis cursus terminatur. Bodin. *d. n. 10.* Quid, quod olim singularum urbium singuli reges fuerunt, ut ex historia Moisis constat! Et hodie Lucensium, Genuensium, Rhagusiiorum, quorum imperium urbis muris clauditur, æquè summæ Respubl. sunt, quàm Helvetiorum, & Venetorum, qui maximarum divitiarum, regionum, insularum sunt Domini.

(b) Est autem Respubl. societas Populi ordine & cum ratione sub una & suprema potestate ad salutem omniũ in ea coalita: unde & respublica quali populica seu res populi dicta est. Tholoz. 1. de *Reipubl. l. num. 11. & seq.*